

OBERLAUSITZISCHE BIBLIOTHEK

HISTORIE
VON

...

L. I. 31.

ctac 1948 JN 333

RECTOR ET SENATUS ACADEMIÆ JENENSIS.


Nondum integer elapsus est mensis, ex quo, post privatas admonitiones plurimas, publicò typisque descriptò programme pessimum morem interdiximus, quo nonnulli, si quæ sibi cum aliis controversiæ intercedunt, eas, etsi jam à magistratu decisas, non ante, quàm ferro decertatum fuerit, ponunt finiuntque: cum tamen sub accessum in Academiam hanc suam, jurejurando sese obstrinxerint, si quid habeant controversiæ cum aliis, velle se acquiescere in Jurisdictione Scholasticâ, & contentos esse sententiâ Domini Rectoris aut Senatûs, si is causam cognoscat. Hoc Edictum nostrum cum Tu, JOHANNES ERNESTE à STAUPITZ, EQVES LUSATE, vix promulgatum, temerè nullaque necessitate violasses; spretâque magistratûs auctoritate, cui te acquieturum esse, sponderas, neque memor in quod infortunium tua te ferocia jam antè præcipitasset; cum duobus adversariis, quibus cum tibi levicula lis erat, tertium provocatis digladiatus, alteri vulnus ingens inflixisses: non poteramus, quin pœnâ transgressoribus decretâ in Te animadverteremus; eamque in publico Consistorio tibi indicarem. Sed, quæ tua est ferocia, adeò non agnovisti delicti gravitatem, aut veniam commissorum ullo modo rogare voluisti, ut potiùs hoc factum tuum, & contra Leges ac juramentum patratum facinus, pro familiæ tuæ decore duceres, ac summâ contumaciâ decreto nostro adversareris, magistratum rideres, denique sic in nostro omnium conspectu te gereres, ut nemo dubitare posset, summò abs te contemptui nos haberi. Mox egressus locum judicii, audientibus aliis, eas in nos, ac universum Ordinem nostrum, verborum contumelias eructâsti, quas nemo privatus facilè concoquat! Postremò ut cunctis appareret, quàm omninò conculcatam cuperes auctoritatem nostram, sub ipsum discessum tuum, equò in forum vectus, quasi triumphaturus de nobis; ad ipsos Rectoris ædes sclopò militari ferociâ non semel explosò, jubiloque & aliis manifestis extremæ impietatis documentis, hunc veluti colophonem præclaris scilicet conatibus tuis imponendum ratus es. Quæ omnia cum gravissimam animadversionem mereantur, utque terreantur hòc exemplò alii magistratûs contemptores, denuo Tibi decreta communi consensu relegatio est, sed in PERPETUUM. Neque enim mitiùs puniri potest delictum, quod omnem disciplinam Academicam, ejusque repagula planè penitusque solvit: imò ipsi DEO insultat. Age igitur JOHANNES ERNESTE à STAUPITZ, EQVES LUSATE, Academia oppidoque hoc perpetuum exesto, nec unquam, nisi nostrò indultu huc revertere. Si contrà faxis, non deerunt remedia, quibus decreta nostra tueamur. Vos autem reliqui, hòc exemplò moniti, debitam magistratui reverentiam exhibete, tantumque ab iis, quibus olim præficiendi estis, honorem exspectate, quantum ipsi superioribus vestris nunc tribuitis. P. P. JENÆ. X. Septembris, Anno clocclix.

L.S.

24

RECTOR ET SENATUS
ACADEMIAE
DE MIENIA

*de Staupitz
Lusat.*



Faint, illegible Latin text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible Latin text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

27

631

183 foll.

19. Sept. 2017.

JMP, bibl.

